

V C  
4159





h. 37, 2.

Vc  
4159

CASPARIS FACII  
PANEGRICUS

GUSTAVO

ADOLPHO

OPT. MAX.

REGI SUECIE, GOTHIE

ET VANDALIE, &c.

Consecratus & exscriptus ex XII. illis Ve-  
teribus.



ANNO

M. DC. XXXII.

*Generosorum Baronum à Sönderburg in Danzha  
& Wuffelhaug duo Capitaneos Nobilissimo  
ac strenuo militis Cantor Gagneus fuy.*



CASPARIS FACII  
PANEGRICUS

GUSTAVO

ADOLPHO

OP. T. M. A. X.

REGI SUECIE, GOTHIE

ET VANDALIE, &c.

Consecutus & exscriptus ex XII. illis Vc-  
tibus.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

ANNO

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

M. DC. XXXX

SERENISSIME, POTEN-  
TISSIME ATQVE INVICTIS-  
SIME REX:

**S**perè ego mecum tacitus cogitavi, Qualem, Quan-  
tumque esse oporteat, Cujus ditione nutuque Ma-  
ria, Terræ, Pax, Bella regantur; cum interea fingenti  
formanti que mihi Principem succurris Tu, ô Rex,  
quem æquata Deo immortalis potestas Unum de-  
cet: nec jam voto Ideam concipio; sed Te Pro-  
videntiâ Dei primum in locum proVectum oppo-  
no, & in præsentia *παράλληλως* confero, cum XII. illis Imperatori-  
bus, quos totidem Oratores seorsim laudârunt, Tu verò Unus  
conjectim exsuperas omni Virtutum laudabilium genere. Ad-  
mitte ô Rex conatum, qui se Tibi offert probandum: In Cellario, in  
Horreo non habeo, quod dare possim: sufficere tamen cum B. Au-  
gustino putârim bonam voluntatem, quæ de thesauro cordis pro-  
fert, quod tribuat divinis in nos meritis tuis. Ne tamen & hinc maj9  
de me aliquid, quàm posse me sentio videar promittere; nec alienè,  
quod meû nõ est; occasione acquirendi usus, partim ex meâ, partim  
ex alienâ materiâ speciem novam feci: Quo casu non dabitandum  
esse Imper. Justinianus censet, eum esse Dominum, qui fecit: Quia  
& operam suam, & partem ejusdem Materiæ præstitit. Autoribus a.  
Usuram accepti hanc solvo, ut Census eorum augeatur, & de  
Capite nihil detrahatur. Optionem amplectendi Tibi Do, Dico,  
Submitto Regum OPTIME MAXIME, Ita Deus Te servet! Deus  
Te servet! Deus Te servet!

Sacræ Regiæ Majestati  
devotissimus

CASPAR FACIUS.

A 2

Qui

Q Vi leget hæc, SUECI mirabitur arma, ruentis  
Vulnera Papatûs, ac FACII ingenium

B. BERTRAM, J. C.

E Cquis verba facit? FACIUS facit optima verba,  
Et Regis SUECI maxima facta canit.

M. NICOLAUS RHODIUS,

Archid. Aldenbi.



CASPAR FACIUS.

Panc-

PANEGYRICUS  
**GUSTAVO**  
ADOLPHO  
OPT. MAX.

Regi Sveciæ, Gothiæ & Vandaliciæ  
consecratus & exscriptus  
ex  
XII. illis Veteribus.

**S**I adhuc dubium esset, fortè casuque  
RECTORES Terris; an aliquo divino  
Numine darentur: in integro rem  
totam esse facerem, & in quodam  
Orbis terrarum Comitio quærerem,  
quomodò aut dormienti TIMO-  
THEO reti implicatæ sint Urbes; aut vigilans NA-  
BUCHDONOSOR uno momento & Regno exci-  
derit & omni sensu humano? Quibus ego si im-  
B mora-

Plut. in  
Sylla.

Panegyricus Regi Sveciæ

morari velim, neque hic dies mihi totus, neque proximus, neque porrò cæteri sat erunt. Nunc ô Rex! ( præsentem n. mihi alloqui videor, qui et si conspectu abes, revelli tamen mentibus nostris communis omnium Parens non potes ) Te liquet humanarum rerum Arbitrum ita constitutum, ut non occultâ Fatorum potestate, sed à D E O ipso coram ac palàm electus, vocatus, receptus sis. Sacra docet HISTORIA, & Catholica credit ECCLESIA, ipsum DOMINUM ac DEUM NOSTRUM transferre & stabilire Regna: ipse HIC DOMINUS ac DEUS NOSTER, qui homines in multitudine scientiæ separavit, IPSE ex ipsis benedixit & exaltavit Te, IPSE TECUM sedet super Solium Regni, & sedere Te faciet in æternum, & exaltaberis. A facie DOMINI missus es VIR MAGNIFICUS & robustus, ut potestatem exerceas in improbos & perjuros.

Syr. 33.

Eccles. 5.

Quò magis aptum, piumque est DEUM OPT. MAX. precari, ut mihi digna Christo suo, digna Moderatore vitæ fortunarumque nostrarum contingat Oratio. Nec enim ad aures tanti Regis quidquam, nisi diu scriptum, & sæpè tractum afferri oportet. Quia tamen non minus regium sum-



conscriptus.

summæque Humanitatis est Parva lubenti faciliq̄ue  
fufcipere animo, quàm MAGNA largiri. Reverà  
enim, cui pauca non fufficiunt, magna non profunt,  
plura prodeffe non poffunt; jam TIBI ô Rex! co-  
gitanti magnam fabricam conffruere CELSITUDI-  
NIS, id innatum fcio & proppofitum femper, ut de  
fundamento priùs cogites HUMILITATIS, & quan-  
tamvis difponas fuperimponere molem ædificii,  
quantò majus erit ædificium, tantò altiùs fodias  
fundamentum. Inde nec haufum aquæ frigidæ  
à gregario milite, nec pomum à rufticâ manu foles  
defpicere, etfi quotidie mûnera maxima & regia  
elargiaris. Iffhuc verò omnibus apparet, non fuper-  
biâ & faftidio Te ampliffimos honores repudiare,  
qui minores nullos dedignaris. Ac mihi quidem  
intuenti fapientiam tuam, minus mirum videtur,  
quòd mortales iftos caducosq̄ue Titulos aut depre-  
caris, aut temperas; fcis enim, ubi vera Principis, ubi  
fempiterna fit gloria, ubi fint honores, in quos ni-  
hil flammis, nihil fenectuti liceat. Arcûs & Statuas  
demolitur & obfcurat oblivio, negligit carpitq̄ue  
Pofteritas. Contra cõtemptor ambitionis & infinitæ  
poteflatis domitor & frænator Animus ipfâ vetu-

B 2

ffate

Plut. ad  
Traj.

Aug. t. 10.  
f. 718.  
Idem f. 34

Panegyricus Regi Sveciæ

state florescit, nec ab ullis magis laudatur, quam quibus minimè necesse est. Sic Tu sane solo immortalitatis amore flagras, dirigis omnes opes & cogitationes tuas ad memoriã æternã, & his maxime servis iudicibus, qui de rebus gestis tuis sine odio & gratiã venturis seculis iudicabunt. Non enim potest quidquam abjectum & servile cogitare, qui scit de se semper loquendum. Inque ALEXANDRO M. posteritas iure damnat, quod de statuariis pictoribusq; accuratè, de Scriptoribus negligenter iudicãrit. Virtutes enim vitiorum confinio lædebantur, unde CLYTUS, AMYNTAS, alii cum veritate opprimebantur, & ille magnus Alexander iam & mihi humilis videtur. At nihil horum in Te, ô Rex! Tu titulis omnibus speciosius reris, quando non trabibus aut saxis NOMEN tuum, sed monumentis æternæ laudis tuæ inciditur. Hinc veram & solidam gloriam petis, nec tamen vereris, ne laudes tuæ deterantur, aut majestas polluat, si ima turba de Te quoq; scribat non respondente meritis tuis Oratione. Nam & ima turba de Te loquitur, & nõ relegatur: Tu v. quod Te dignum est, probas, alioquin nihil parùm gratè sine comparatione laudares. Unde mihi tantum  
confi-

conscriptus.

confidentiaë, ut post disertissimum alterum Romuli  
Nepotum dicere audeam, etsi res à Te gestas, aut ille  
solus, aut soli Batavi prædicare possint, ipsemet, sine  
tamèn æmulandi fiducia cupidus imitandi, ex diu-  
turnâ convulsione solidatus aliquid conabor effari,  
ut inter tantos sonitûs Declamatorum mea quoq;  
vox tenuis audita videatur. Neq; v. ignoro, quan-  
tò inferiora sint ingenia nostra Batavis, siquidem  
Latinè & disertè loqui illis ingeneratum est, nobis  
elaboratum, & si quid fortè commodum dicimus,  
ex illo fonte & capite facundiaë imitatio nostra deri-  
vat. Sed quamvis conscius mihi infirmitatis inge-  
nitæ, & inchoati potius studii, quàm elaborati, cohi-  
bere me silentii nequeo, quò minus de recuperatâ  
per Te Libertate, Religioneque sincerâ servatâ. Tibi  
gratias agam, & dicam simul, ô Rex! AUGUSTISSI-  
MAS TUAS LAUDES, quibus tantùm ultra omnium  
seculorum Principes emines, quantum à privatis  
cæteri Principes recesserunt, à specie adulationis  
absum, quia & à necessitate & mercede, audio autem  
passim gaudentium studia nunc ita toto orbe Chri-  
stiano florescere, quacunq; famâ ultra naturam, quâ  
fingitur discursûs volucres mutuata, & plus quàm

B 3

mille

Panegyricus Regi Sveciæ

mille vocibus sonora, percubuit, ut omnium Nationum gratulationibus consecratur. Credo igitur nos oportere omnes alios homines exultatione superare, qui hæc tanta tua beneficia, hoc tantum tuum bonum præsentem intuemur, & ipsa actionum tuarum contemplatione sentimus omnes Te sensus tuos mentemque convertisse in curam tuendæ RELIGIONIS nostræ LUTHERANÆ. Quod ad me attinet, exultans laborabo, ut Orationem omnem ad modestiam moderationemque tuam submittam, nec minus considerabo, quid aures tuæ pati possint, quàm quid Virtutibus tuis debeatur. Audi igitur patienter, O Rex, ut Te DEUS audiat omnibus, quæ à me dicentur, Libertas, Veritas, Fides constabit, non enim de Domino, sed de Parente loquar. Faciam autem, quod facere præstantes scientiâ Medicos sæpè vidi, aliorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo, per sententias esse, & Lutheranos singulos universosque rogasse contentus; An, cum inter omnes liqueret fessis nostris rebus medendum TALI ALIQUO PRINCIPE publicis gubernaculis admovendo, qui Electorum unius tueretur conatam,  
alte-

conscriptus.

alterius iuvaret laborem, totius Christianæ fidei  
subiret molem; potuerimus alium pro Rege Sveciæ  
vel optare? An, si maximus quisque virtute guber-  
nator est certissimus, dux ad salutem; non is sit opti-  
mus, qui usu peritissimus? Si v. quæramus, quis sit  
ille, qui hæctenus ad securitatem nobis verè provi-  
derit, & nutantia rei Christianæ fata susceperit:  
nonne omnium suffragiis hominū is Tu es, ô Rex!  
felix PATRIA, DOMO clarus, FORMA divinus, ÆTATE  
integer, CIVILIUM, MILITARIUMQUE RERUM Usu  
exercitatissimus? Cuncta hæc proposito ordine  
prosequar, & tūc profectò constabit, eum Te esse  
Regem Sveciæ, qui & ab omnibus legi debuerit, &  
ex omnibus. Cujus enim divina Virtus, & ejus  
mira comes appendixque Victoria ECCLESIAM  
CHRISTI non præcipitantem exceperit, sed afflictam  
ac planè jacentem excitavit, recreavit, erexerit, cum-  
que aliæ felicissimæ tuæ prius ac deinceps expedi-  
tiones non minus in se operis amplexæ sint, quàm  
illa ipsa ex faucibus Antichristi ereptio Ecclesiæ;  
quid dignum magnitudine tuâ excogitari ac dici  
potest, in cuius laudibus id maximum non est, quod  
in terrarum orbe primarium est natale solum?

Nam

Panegyricus Regi Sveciæ

Patria.

Nam primùm omnium tibi mater est SCANDIA seu SUECIA, Insula incomptæ magnitudinis, & quæ Europæ latus Septentrionale claudit, cuius Austri-  
nales partes omnibus cœli ac soli bonis Natura do-  
navit, in quâ nec rigor nimius hyemis, nec ardor æ-  
statis naturæ puritatem corrumpit, in quâ segetum  
tanta fœcunditas, ut muneribus divitis Cereris suffi-  
ciat, & cum feracissimis terris quasi nunquam cessu-  
ra certet; Pecorum autem fœtura antefertur ipsis  
Hollandis innumerabili multitudine, lacte distenta,  
& onusta velleribus. Mellis opimitate nulli cedit,  
& quod singulare, cœli quorundam locorum seve-  
ritatem, mirandus Naturæ Conditor in nemoribus  
variorum animalium venatione ac capturâ com-  
pensavit. Volatilium omnis generis, maximè eo-  
rum, quæ in delitiis habentur, quotidiana copia su-  
perfudit, ex mari & fluminibus piscium delectu sati-  
avit, nec indigenis tantùm, sed externis remotisque  
Nationibus multarum rerum suarum abundantiam  
suppeditare fecit, estque ex isthac opulentiâ innata  
incolis fœcunditas, quæ immanes Gothorum acies  
peperit, vaginam & officinam illam gentium, è quâ  
olim in nostri mundi partes instar apum tot illæ stu-  
pendæ

pendæ expeditiones inundationesque, quot replendis omnibus terræ angulis suffecerant. Ipsa SUECIA nihilominus Naturæ solertis ingenio velut alter Orbis semper ab indigenis solis exculta est, & à domesticis Regibus felicissimè dominata. Hinc tot egregiæ civitates, adde culta incultaq; omnia vel fructibus plena vel gregibus, adde auriferorum opes fluminum, adde radiantia metalla gemmarum, crystalli, & æs Cyprium, ferrum, plumbum, argentum, in officinis nobilitata. Hæc durissimos milites, hæc expertissimos Duces, hæc facundissimos Oratores, hæc clarissimos Vates parit: Huic Te, ô Rex! debet Europa. Certè ingenitum illum Tibi divinæ mentis ardorem hujus quæ prima Te suscepit regionis alacritas excitavit. Non enim in otiosâ aliqua delitiisq; corruptâ parte terrarum natus institutusve es, sed in eâ Provinciâ, quam ad infatigabilem consuetudinem laboris atq; patientiæ, fractus licet oppositus hostis, armis tamen semper instructus miles exercet, in quâ omnis vita militia est. Cedat his terris terra Cretensis Jovis gloriata cunabulis. Fidem constare nescimus auditis, HEROEM dedit SUECIA, quem videmus, & ex illâ Septentrionali plagâ salutari luce beatur jam Patria nostra.

C

Erat

Panegyricus Regi Sueciæ

Domus.

Erat justè compensationibus occasio, ut, qui de Patriæ tuæ, ô Rex & laudibus pauca dixi, PATRIS saltem virtutibus prædicâdis prolixius immorarer. Sed quid faciam? novam quandam patior ex copia difficultatem. Tanta est nobilitas originis tuæ, ut nihil Tibi addiderit honoris regnum, nec possit fortuna Numini suo imputare, quod tuum est. Non enim fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis favoris eventus Te Regem fecit. Regnum nascendo meruisti, quod quidem mihi DEI immortalis munus & primum videtur & maximum, in lucem statim felicem venire, & ea, quæ alii vix totius vitæ laboribus consequantur, jam domi parta suscipere. Erat PARENS tuus CAROLUS regnorum Sueciæ, Gothiæ Vandalicæque Princeps hæreditarius, Dux Sudermannicæ, Nericiæ ac VVermelandicæ: erat à fratre Rege JOHANNE datus Vadis Suecis Religionis non mutandæ: erat à SIGISMUNDO III. in Poloniam abeunte Gubernator Sueciæ designatus, ac tum commodum idem SIGISMUNDUS, à matre in sequire Religione educatus, Polonis fidem dederat vitam silentio transeundi in Polonia. Ita SUECIA pro derelicto habebatur, & Poloni contra datam fidem



conscriptus.

fidem Suecis Poloniam forum competens indicebant. Igitur regni Sueciæ Ordines ac Senatores summam regni vetustissimi, quod suffragiis cesserat, perpetuo jure hæreditatis regali propagini consignarunt nullâ tum Privilegiorum antiquatione factâ, sed solo jure electionis in jus devolutionis mutato. Communi enim suffragio jus hæreditarium cum virtute conjunctum CAROLO assignarunt, & populus, secutâ ex omni multitudine consentiente voce, ei & in eum omne suum imperium & potestatem contulit. CAROLUS ad rem gerendam natus discordias in Religione sustulit, unam fidem Lutheranam retinuit, laudandam cum Moscho pacem stabilivit, seditiones in Finlandia sedavit, aliaque regni negotia feliciter composuit, & suas opes regias firmavit. Ita ille jam nullo magis nomine publicus Parens, quàm quia tuus, ingens gloria, ingensq; fama, cum abundè expertus esset, quàm benè humeris tuis sederet imperium, Tibi terras, Te terris reliquit, eò ipso charus omnibus ac desiderandus, quod prospexit, ne desideraretur. Tuus Avus GUSTAVUS I. ex antiqua Regum Sueciæ prosapia Herculeâ virtute regnum ab exterorum potestate

Liv. I. 6.

Panegyricus Regi Sueciæ

vindicavit, & fecit, quod omnes facere debent, Rex  
titulis & imaginibus & signis, cæterum modestiâ,  
labore, vigilantia Parens amantissimus populum  
clementer tractavit, & amorem ad Posterostans  
misit. Sed quid necesse est mitti in præteritum dili-  
gentiam curiosam? Digna Rege nobilitas ejus esse  
filium Principem, qui Princeps esse debuerit, qui hunc  
imperialis fastigii apicem non solum fortitudine  
atque sapientia, sed decore etiam corporis & di-  
gnitate æquaret, velut tua hæc ô Rex!

Forma.

FORMA venerabilis, quàm fortunæ suæ par est:  
quàm longè lateque conspicua commendat im-  
perium: ut planè in ambiguo sit, virtus Te magis  
nostris mentibus, an obtutus vultibus insinuet. In  
ipso isto tuo vultu videmus omnium signa virtu-  
tum, in fronte gravitatis, in oculis lenitatis, in ru-  
bore verecundiæ, in sermone justitiæ. Nec quid-  
quam aliud homines potissimum diebus Festis  
quàm te ipsum jam spectare satagunt; qui tuus sit ful-  
gor oculorum, quæ totius corporis circumfusa  
majestas, quæ hilaritas permixta verecundum quid-  
dam & amabile renidens. Pulchrum Deus bo-  
ne! & cœleste miraculum Rex adolescens, in quo  
illa

conscriptus.

illa, quæ jam summa est, fortitudo tamen adhuc  
crescit, in quo hæc veneranda pariter & grata maje-  
stas perstringit simul & invitat aspectus: Non fru-  
strâ planè opinione sapientum; qui naturalia mo-  
menta caussarum subtilius sciscitant, qui arcanis  
cœlestibus nobiles curas intulerunt; Augustissima  
quæque species plurimum creditur trahere de cœlo.

- - - Forma quæ numen habet.

Natura certè ipsa magnis mentibus domicilia  
corporum digna metitur, & ex vultu hominis ac  
decore membrorum colligi potest, quantus illos  
cœlestes spiritus intrârit habitator. Itaque Te cum  
ingredientem milites vident, admirantur & dili-  
gunt, sequuntur oculis, animo tenent, Deo se obse-  
qui putant, cujus tam pulchra forma est, quàm certa  
divinitas. Neque verò laudaverim per se magno-  
perè duritiam corporis ac lacertorum, sed eum qui  
his validior toto corpore animus imperitat, quem  
non fortunæ indulgentia molliat, non copiæ prin-  
cipales ad segnitiam luxûque detorqueant. Interim  
tua tamen ego seu mari seu terra exerceantur, & læ-  
tum opere corpus, & crescentia laboribus membra

C 3                      miror.

Ovid. 3.  
Am. 3..

Panegyricus Regi Sueciæ

Herod. 4.

miror. Quid enim adhæc DARIUS, qui Statuæ inscripsit: Ad hanc pervenit Vir Opt. & pulcherrimus? animus ejus nõ ultrà tendebat, qui terminum itineris sibi designabat, tuæ virtuti, cum mereat orbis imperium, quod jam perambulat, addidit forma suffragium; illa præstat, ut oporteat Te Principem fieri, hæc, ut deceat. Solâ corporis ferè proceritate elatior aliis & excelsior SAUL ad regnum pervenit, sed improbitate senili perdidit, quod elegantiam juvenili acceperat. Pietas Te tua tuetur juvenem, & in eadem spectabili formâ conservabit senem.

Ætas.

An verò quidquam putamus imperii tui declaratione præteritum, cum ductam esse rationem ipsorum videamus annorum? ejus quidem rei ita tuit cura aliquibus Romanis, ut non solum in amplissimis Magistratibus adipiscendis, sed in Præturis quoque capessendis Ætas spectata sit petitorum. Nam & qui venturi sunt in adoptionem virtutis, illo tamen adolescentiæ lubrico, ut non cadant, ita titubant. Annon clarissimos nominis Romani Viros, illos Catulos, Scipiones loquor, aliquantisper luxuria sibi vindicavit, quos ab illis, quibus mersabantur, erroribus ætas recepit? Verum enim verò illi admodum antiqui majores

no-

conscriptus.

nostri ejusmodi Leges annales non habebant, multis post annis attulit eas ambitio. Ita sæpe magna indoles virtutis prius, quàm Reip. prodesse posset, extincta fuit. Contrà Rulli, Decii, Corvini adolefcetes & Coss. facti tantas res gesserunt, ut Pop. Rom. imperium auxerint, nomen ornârint. Et nos jam vel ex uno Te judicare possumus, virtutis esse quàm ætatis cursum celeriore.

Parcite Natales timidi numerare Deorum,  
Cæsaribus virtus contigit ante diem.  
Ingenium cœleste suis velocius annis  
Surgit, & ignavæ fert mala damna moræ.

Tu ô Rex!

Auspiciis, animisque Patris Puer arma movebas,  
Vincebasque animis auspiciisque Patris.  
Parvus erat, manibusque suis Tyrinthus angves  
Pressit, & in cunis jam Jove dignus erat.

Finguntur hæc de Jove & Hercule, sed de Te vera sunt, qui educatus institutusque es in illâ fortissimarum sede Legionum, inter discursûs strenuæ juventutis, inter armorum sonitûs tuis penè vagitibus obstre-

Ovid. i. de  
art.

Panegyricus Regi Sueciæ

Gregor.  
M.

obstrepentes. Mox inito Principatu nō temporum  
quantitate, sed morum gravitate maturus eras

Ante annos curamque gerens animumque vi-  
rilem.

& tamen fortunæ hoc nomine etiam succenseri pos-  
set, quod quem Sceptro & Solio destinaverat, nun-  
quam indulgenter habuit, sed ut severi Patres his  
quos plus diligunt filiis tristiores sunt, ita illa Te  
plurimis bellis & difficillimis Reip. temporibus ex-  
ercuit, dum aptat imperio. Si enim tuas res gestas  
ab Anno XXIII. enumerare conarer, quæ Te pri-  
ma signa Imperatoriis auspiciis inaugurarint, quæ  
castra Dominum habitura susceperint, quæ bella  
deduxerint, quæ victoriæ auxerint, eundem mihi  
esset vestigiis virtutis tuæ colligendis per totum  
maris Finlandici tractum, per Majores maris Ro-  
derici ambitus & Insulas non paucas, per sinum Bo-  
dicum ad Borysthenem & Vistulam usque, in quibus  
nunc cum Moscho, nunc cum Dano, nunc cum  
Polonis belligerasti; & juvenis senes vicisti. Sed qui  
velit ista omnia complecti, secula sibi optare debet,  
& quantam Tu mereris ætatem. Macedo ille A-  
LEXANDER cum ab ineunte ætate res maximas  
gerere

Cicer. 5.  
Phil.

conscriptus.

gerere cœpisset, tertio & trigesimo anno mortem obiit ex intemperantiâ. Tu jam (quod faustum & felix sit ECCLESIAE REIQ; PUBLICÆ Christianæ!) triginta octo annorum Annalium nostri temporis Scriptores fatigas, quos si legeret Julius Cæsar, ingemisceret iterum, quòd nihil tùm à se memorabile actum esset in eâ ætate, quâ Tu jam Orbem terrarum subigis.

Haftenus, ô Rex! in Te prædicata sunt dona Naturæ: nunc ad ea proferamus gradum, quæ Tibi debes, aut Præceptorum. Atq; hîc cùm impediatur turba dilectum, ut in magnis domibus interiorum ornatum vestibula ipsa declarant: sic mihi venturo ad ingentium Virtutum stupenda penetralia, debet laudationis ingressum & prædicationis januam PIETAS præbere.

Cum igitur benè ac sapienter Majores instituerint, ut rerum agendarum à precationibus initiû caperetur, quòd nihil ritè, nihilq; providenter, homines sine DEI immortalis ope, consilio, honore auspiciemur; ingenti conscientia primò omnium pacisceris cum DEO, ut Te, si mereberis, servet, cum scias, an merearis, neminem magis quàm Deum scire.

D

Igi-

Suet. c.7

Civiles  
militares-  
que virtu-  
tes.

Pietas.

Panegyricus Regi Sueciæ

Pfal. 27.

Igitur hæc diebus ac noctibus tecum agitas, quomodo iudicium DEI in consilium assumas, piâ mente adeas templa, inhabites in domo Domini; ut videas voluntatem DOMINI, quin imò occurfare Numini, & inter tot millia armatorum sub dio in genua procumbere, manus in cœlum levare, vota nuncupare, & pro conservatione Ecclesiæ, pro salute sociorum, pro incolumi & sospite exercitu orare soles. Unde sanctiorem quasi DEUM facis exemplo tuæ venerationis. Nunc enim verè homines intelligimus potestatem DEI, cum tam impensè colatur à Te rerum potente. Quid verò mirum tum statim Numen Tibi velut adesse & assistere? Audita sunt vota tua & tuæ preces, quarum formulas jam pueris nostris ediscendas præimus. Arduum est has tuas preces laudibus adæquare, sic adæquamus tamen ex ore infantium & lactentium. Nam quod precatus es, ut illa ipsa expeditio in Germaniam benè ac feliciter eveniret, nonnè Tibi tale est, ut nos hûc ordinem votorum convertere debeamus, DEUMq; obsecrare, ut omnia, quæ facis, quæq; facies, prosperè cedant Ecclesiæ, Tibi, Nobis? vel si brevius sit optandum, ut uni Tibi, in quo & Ecclesia & nos post DEUM sumus?



conscriptus.

mus? Tu omnibus cupiditatibus solutus eò perve-  
nisti, ut nihil roges DEUM, nisi quod rogare possis pa-  
lâm. Adeò autem arcanum cœleste rimaris, ut istud  
Tibi soli pateat cum DEO consorte secretum. Et cui  
jam non apparet penitus consideranti non dubias  
Te, sed promissas divinitus petere victorias? DAVID  
cùm sic consuleret DEUM, audiit sonitum egredien-  
tis DOMINI ante faciem suam, & percussit Philistæos.  
CONSTANTINUS MAXIMUS, cùm idem faceret, signû,  
in quo vinceret, vidit cœlitus. Hæc Te Pietas sequi-  
tur, hæc Te salvum & incolumem ex tot præsentibus  
periculis retulit, hæc Te sic nobis referet ad Pa-  
cem usq; optatam. Cumq; nec paterna Te gravitas,  
nec tua natura temerarium esse patiatur, dic quæso,  
quid in consilio, nisi divinum Numen habes? Indè  
non solum ad consummandas victorias homines la-  
borârunt, sed etiam repente aut flumina creverunt,  
aut minuta sunt. Toto ferè præterito proximè an-  
no, quo Tibi opus erat serenitate, ut opera cœpta  
procederent, ut militum animi vigerent, nec manus  
torpescerent, nullus ferè dies imbre foedatus est.  
Hyems ipsa temperiem Veris imitabatur, & non Se-  
ptentrionis nos putavimus, sed quasi translatis fide-

D 2

ribus

Senec.  
ep. 10.

Aug. 10  
107. lot

1. 1. 1. 1.

Panegyricus Regi Sueciæ

ribus aut terris meridiam cœli clementiam sensimus. Hanc felicitatem Pietate meruisti.

Castitas.

Aug. t. 10  
fol. 770.

Liv. 26. 50

Quod verò præstabilius est aut pulchrius munus DEI, quàm castus, quàm sanctus, & DEO similis Princeps? In Te, ô Rex, adhuc istæ sunt integræ solidæque vires, hic totius corporis vigor, hic imperatorius ardor oculorum, semper tamen ingenui animi tenes dignitatem, docesq; exemplo tuo & servos & liberos in peccando non conditione coæquales esse, sed mente. Cum igitur sis decorus & speciosus facie, pulchritudinem vultûs tui non ad alienam derivas injuriam, sed ad tuam gratiam servas, hoc Te pulchriorem judicando, si non dispendio castitatis, sed cultu pudoris speciosior proberis. ALEXANDER M. Darii uxorem & filiâs pudicè servandas alteri tradidit, sibi ipsi non credidit. In aliis enim diu vitiorum turbine jactatus, naufragus & fluctuans maculam castitatis nomini inflixerat. SEPIO etiam Africanus Sponso Sponsam intactam restituit, sed legibus patriis prohibitus alterius Sponsam violare. Tu, ô Rex? integris & incorruptis Naturæ viribus ad Conjugium statim applicasti animum, quæ est conjunctio unius Maris & unius Fœminæ à principio

conscriptus.

pio DEI ordinatione & CHRISTI confirmatione instituta. Quò ergò magis continentiam Patris æquare potuisti, quàm quòd Te ab ipso sine pueritiæ illicò matrimonii legibus tradidisti, ut primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem; nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres, novum jam tum miraculum juvenis uxorius? Sed, ut res est, mente præfaga omnibus Te verecundiæ observationibus imbuebas, talem postea ducturus uxorem. Et jam Tibi uxor in decus & gloriam cedit, quid enim illà sanctius, quid antiquius? nonne si Pontifici Max. eligenda sit conjunx aut hanc aut similem, (ubi est autem similis?) eligeres? Quàm illa nihil sibi ex fortuna tua nisi gaudium vindicat? quàm constanter non potentiam tuam, sed ipsum Te reveretur? idem estis invicem quod fuistis, nihilque vob. felicitas addidit, nisi quod scire cœpistis, quàm benè uterque vestrum felicitatem ferat. Et in hoc statu Te pudicitia sola dicata conjugio secuta est & sequitur, affectata enim aliis castitas, Tibi ingenita & innata, interque ea quæ imputare non possis. Inde securitas intuentium Te matrum, Te virgi-

D 3

virgi-

Panegyricus Regi Sueciæ

virginum, quâ duplici fructu fruuntur, cum pulcherrimi regis formam vident, & licentiam non timent, adventum tuum non Pater quispiam non maritus expavescit. Nullam matronarum, cui forma emendatior fuerit, boni sui piget, cum sub abstinentissimo Rege species luculenta non incitatrix libidinis sit, sed pudoris ornatrix. Hæc est vera pietas, hæc voluptas legitima conservandi generis humani, exemplum dare gentibus ad matrimonia studiosius expetenda, honorabilius servanda. Quæ sine dubio magna seu potius divina Laudatio, sæpe in ipsis etiam Philosophis nõ tam re exhibita, quàm Disputatione jactata est in vulgus.

Quàm verò dissimilis nuper Ligisticæ Lernæ transitus, si tamen transitus, non populatio fuit, cum abactus, raptus, plagia, & quid non hospitem exerceret, ut si vis aliqua Barbarorum, quos tamen bestiali feritate superabant, incidisset? Sed querela ne tum quidem gratæ, cum necessariæ. Venisti DEO simillimus juvenis, vincens omnia cum armis, tum benignitate atque beneficio.

Humanitas tua tam clara in Imperatore, quàm rara est, nam cum indiscretè felicium pedissequa  
fit su-

Liv. in  
præfat. 26  
50.

Huma-  
nitas.

conscriptus.

fit superbia, vix cuiquam contingit & abundare fortunâ, & indigere arrogantia. Cujus quidem ita Majores nostros semper pertaesum est, ut graviolem putaverint servitute contemptum. Tu unum Te ó Rex! ex hominibus, & hoc magis excellis atque emines, quod unum ex nobis Te putas, nec minus hominem Te, quàm hominibus præesse meministi. Apud milites, quam admirationem, & quemadmodum comparâsti, cum tecum in mediam, tecum ferunt sitim, cum in illis meditationibus campestribus militaribus turmis Imperatorium pulverem, sudoremque miscetis? nihil à cæteris nisi robore ac præstantia differs, cum libero Marte nunc cominus tela libras, nunc vibrata suscipis alacer virtute militum & lætus, laudas quippe conantes, hortarisque ut audeant, cum spectator moderatorque incuntium certamina virtutum arma componis, tela tentas, ac si quid durius accipienti videatur, ipse vibras. Quid, cum solatium fessis, ægris opem fers? non tibi moris tua inire tentoria, nisi commilitonum ante lustraveris, nec requiem corpori, nisi post omnes dare. Cum civibus tuis quasi cū liberis Parens vivis, & id nomen quâ benignitate, quâ.

Panegyricus Regi Sueciæ

quâ indulgentiâ exerces? Eosdem nos, eundem Te putas, par omnibus, & hoc tantum cæteris major, quò melior. Nihil igitur mirum, quod tantus amor & tam verus in Te civium fervet. Neq; enim ullum puto post homines natos tanto generis humani ardore dilectum. Cæterorum Regum charitates admodum raræ, nec unquam diuturnæ fuerunt. In summis enim hominum habitavere pectoribus subitâ & fortunatâ benevolentia provocatæ, non vir, tutum admiratione devinctæ. At verò noster hic in Te affectus veri certiq; iudicii est, & benè judicamus de Te, quia Te benè cognoscimus.

Arist. 1.  
Eth. 2.

Sen. ep. 3

Amicos juxta inimicos ut caveas, monet, nescio quis: atq; ita eadem serie amicos, quos dicit, negat. Et sanè ecquis Imperatorum unquam putavit amicitia cultum in regia laude ponendum? humilis hæc virtus, dubiumque; an virtus non palatii, sed periculis digna. Indè facilius inveneris, qui pecuniam ex ærario, quàm qui ex animo fidem promiserit. Tu amicitiam, nomen antè privatum, non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpurâ, auro gemmisq; redimitam folio recepisti, req; non verbis asseruisti, Principis mentem tantò in suos benigniorem esse debe-

conscriptus.

debere, quantò sit fortuna præstantior. Verum enimverò in amicis recipiendis nemini magis, quàm Tibi credis mirificus virtutum & innocentiaè spectator & iudex. Igitur amicos ex optimis legis, & omnibus nugis remotis doctissimum quemque perquiris, rectos ac vividos animos foves & attollis. Si quis præstat virtutibus bellicis & laude militiæ, in amicis habetur, ultrò ad familiaritatem vocatur. Quicumque in administratione Reip. innocentem se unquam & strenuum præbuit, in consortium numerum receptatur. Et quamvis humanæ mentes profundos gerant recessus, ut dolis existimeris decipi posse, non Virtus tamen tuâ de congressione, quàm Prudentia est de fraude securior. Quis enim ad præsentendum sagacior? quis vigilantior ad videndum? Quis contemplatur præsentia acrius, ventura prolixius, ambigua certius, captiosa felicius? Absit, & illud sancta Divinitas omen avertat, ut Tu à quoquam mortalium expectes vicem beneficii: veruntamen, quod solum vel accipere potest ista fortuna, vel à quoquam opibus tuis tribui, immortalitatem munerum ac honorum tuorum colet, sed ah! dum hæc scribo, coluit officiis sempiternis Augu-

E

STUS

Panegyricus Regi Sueciæ

Tacit. I.  
An.

stus ille Rheni Palatinus augustissimus, cui neq; in  
suggerendis consiliis veritas, neq; in ad eundis, si res  
poposcerit, periculis animus, neq; in hominum vo-  
luntatibus pro Republ. Teq; inclinandis libertas,  
neq; in laboribus perferendis industria, neq; in au-  
gendis imperii tui commodis grati animi benevo-  
lencia defuit unquam. Quid dicam magnum illum  
Saxonix Ducem VVILHELMUM, secundarum ambi-  
guarumq; rerum scientem, eòq; interritum, qui om-  
ne negotium, omne otium suum in ornandis re-  
bus tuis celebrandisque ponit? Quid ERNESTUM  
illas Saxonix delicias, qui omni vitæ suæ tempore,  
quâ est bonitate, summis opibus enitetur, elabora-  
bit, efficiet, ut honores in se tui rectè positi & ratio-  
ne collocati esse videantur. Fulmen illud Saxoni-  
cum BERNHARDUS probatus est, & quia Te forti-  
ter amat, honoratus. Et hi omnes Vitam prius po-  
nent, quàm Fidem mutabunt. Tu v. hos provehis, &  
ostentas q. specimen & exemplar, quæ tibi secta  
vitæ, quod hominum genus placeat. Æquum ergò  
est esse eos charissimos bono Principi, qui invisi-  
malis fuerant propter Fidem. Persta, ô Rex in istâ  
ratione propositi, talesque amicos crede, qualis fa-  
ma



conscriptus.

ma cuiusq; est. Sic utrique mensuram implebitis, & Tu, quantum Princeps tribuere amicis potest, & illi, quantum amici à Principe accipere. Felices illos omnes, quorum fides & industria non per inter-nuncios & interpretes, sed ab ipso Te, nec auribus tuis, sed oculis probatur. Aliud ex alio mihi oc-currit.

Damnas effœminatas artes & indecora seculo studia: Tu procul à tui cultu ludicras artes à Scena & histrione removisti. Exstincta verò literarum studia, quomodò recreásti? Tu Theologiam sa-cram, Tu Philosophiam sobriam paullò ante suspe-ctas, ac nedum spoliatas honoribus, sed accusatas ac reas, non modò iudicio liberásti, sed amictas pur-purâ in regali sede collocásti. Susplicere jam in cœlum licet, & securis contemplari astra lumini-bus, qui paullò ante Pecorum ritu in humum visûs trepidos figebamus. Jam ratione cœlesti Te-cum vivimus, & artes in complexu, oculis, auribus habemus nos; Tu verò, dum præstas, quæcunque præcipiunt illæ, tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris. Omnis exempli documenta nobis

E 2

exhi-

Studium  
erga Lite-  
ratos.

Panegyricus Regi Sueciæ

Tac. 4.  
An.

exhibes, & literaturam virtutum omnium maximam ad immortalitatem Tibi applicas. Hinc jam non grave Tibi aures studiis nostris honestis & voluptatibus liberalibus impartiri. Jam Te seria carmina, honorque æternus annalium, non levis aliqua & pudenda prædicatio colit, & Tu cultores dignè æstimas, interesse scis gloriæ, quam tantus Princeps tot Victoriis & Triumphis mereris, ut ingenia, quæ canendis tuis Virtutibus excoluntur, non intra privatos parietes, sed in publicâ ostentatione, & in ipso orbis ore vegetentur. Cumq; inter omnia, quæ virtute Principum ac felicitate recreantur, sint fortasse alia magnitudine atque utilitate potiora, nihil est tamen admirabilius hac liberalitate, quàm fovendis honorandisque literarum studiis impertis: nulli unquam antehac Principes pari cura belli munera & hujusmodi Pacis ornamenta coluerunt. Tibi Optimarum Artium celebratio grata atque jucunda est, summo gaudio & favore suscipis, tanto amore prosequeris, ut non minus ad providentiam Numinis existimes pertinere benedicendi, quàm rectefaciendi disciplinam, & pro divina intelligentiâ mentis æternæ sentias,

LI-

conscriptus.

LITERAS omnium FUNDAMENTA esse VIRTUTUM, ut-  
pote continentiae, modestiae, vigilantiae, patientiae  
MAGISTRAS: Quae universa cum in consuetudinem  
tenera aetate venerunt, omnia deinceps officia vitae  
ad ipsa, quae diversissima videntur, militiae atque  
castrorum munimina convaluere. Jam igitur non  
aurum, nec argentum, nec exquisita ingenia coe-  
narum, sed suavitatem jucunditatemque tuam mi-  
ramur. Quibus nulla satietas adest, quando sin-  
cera omnia, & vera, & ornata gravitate, neque enim  
aut peregrinae superstitionis mysteria, aut obse-  
na petulantia mensis tuis oberrat, sed benigna in-  
vitatio, & liberales joci, & studiorum honor. In-  
de tibi parcus & brevis somnus nullumque amore  
nostri angustius tempus, quam quod sine nobis  
agis. Obmutescant nunc rupices & sordidi illi ca-  
nes, qui militiam togatam rabide allatrant, quam  
Tu tantopere admiraris! Cui enim unquam Prin-  
cipum veterum tantae fuit curae, ut doctrinae atque  
eloquentiae studia florerent, quantae Te optimo &  
indulgentissimo Domino? Manifestum est, quem  
honorem dicendi Magistris, quam dignationem  
Sapientiae Doctoribus habeas. Sub Te jam spiritum

E 3

&

Panegyricus Regi Sueciæ

& sanguinem & patriam recipiunt studia nostra, quæ prioris temporis immanitas exiliis & carcere puniebat. Nec tu serias tantum partes dierum in oculis eruditorum coetuque consumis, etiam remissionibus tuis eadem docta frequentia, eademque illa socialitas interest. Non tibi semper in medio cibus, semperque mensa communis? non ex convictu Doctorum mutua voluptas? non provocas, reddisque sermones, idque sine Interprete? non ipsum tempus epularum tuarum, cum frugalitas contrahat, extendit humanitas? è tripode dictum; Cui hæc virtus literaria inest, omnes insunt, an quisquam studia humanitatis professus non cum omnia tua, tum vel imprimis laudibus ferat admissionum tuarum facilitatem? Huc, huc totas pii Vates doctarum noctium conferte curas, hoc omnibus linguis literisque celebrate, nec fitis de operum vestrorum perennitate solliciti: illa, quam præstare Historiis soletis, ab Historia veniet æternitas. Vos quoque, quibus secunda fors cessit dare Formam rebus Artifices, vulgata illa veterum fabularum argumenta despiciate, Herculeos labores & Indicos Liberi triumphos, & anguipedum bella monstrorum:

Hæc

conscriptus.

Hæc potius, hæc Regis Sueciæ gesta solertes manus ducant, his fora, his templa decorentur, hæc ebore reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus vivant, hæc in æra moveantur, hæc gemmis augeat pretium & in accessionem picturæ materia aurea cedat.

Dabit veniam clementia tua, si audaciorem veritas faciet. Existimare quidem de Principibus nemini fas est, (nam & in vestibulo suo inquirentem repellit objecta veneratio, & si qui propius adierit, quod oculis in Solem se contendentibus evenit, præstrictâ acie videndi facultate caruerunt) verum Tu facis Principum maxime, ut patere videatur, quæ prius obstructa fuerant, qui tam optas totus videri, quam ceteri recusant. Nō terror obtentui est, nec occultandis, quæ plerunque extrinsecus latent, demorandoque aspectu ostentatio speciosa perhibetur. Obtutus hominum uti olim & Augustus Cæs. benignè receptas, nec intuentem iniquus fulgor retundit, ad serenum lumen invitat. Quanto tutior igitur, quanto securior Domus tua, postquam aditus ejus non crudelitatis, sed amoris excubiis, non solitudine, sed celebritate defenditur? ecquid discimus experimento, fidissimam esse custodiam Prin-

§. 34. J. de  
R. D.

Innocen-  
tia.

Suet. c.

Panegyricus Regi Sueciæ

Principis ipsius innocentiam? hæc arx inaccessa, hoc  
inexpugnabile munimentum, munimento non e-  
gere. Tantum inter arma bona conscientia sibi vin-  
dicat, ut jam cœperit non Virtutis magis quàm Inte-  
gritatis esse Victoriæ tuæ. An ergò innocenti & in-  
noxio nihil timendum; an verò cum Batavo nostro  
iterù querar; cum prospexisti omnia, disposuisti uni-  
versa, summi official Imperatoris complevisti, cur ipse  
pugnas? cur Te densissimis hostiù globis misces? cur  
salutē Ecclesiæ in pericula tanta mittis? maximo a-  
mori maximus timor junctus est, omnia tuta timet.  
An nescire nos putas, quòd, dū nimio raperis ardo-  
re, in media hostiù tela aliquoties deveneras, & nisi  
viam tibi cædibus aperuisses, spem totius generis hu-  
mani & vota deceperas? Illos pugnare fas est, qui-  
bus suo cuiusq; fato aut vincendū est, aut cadendū;  
Tu, cujus ex vitâ omnium salus pendet, ad ullum di-  
scrimen accedas? inter tot tela gladiosq; versere?  
Quis hoc à Te exigit, aut quis pati possit, ut quidquã  
in Te belli casibus liceat? Ignosce dicto, non omnia  
potes, & heus! insita est nobis corporis nostri Cha-  
ritas, huius gerere tutelam, huic indulgere debemus,  
etsi non serviamus. An Tu verò sic statuis, Turpe es-  
se Sa-

Sen. ep. 14

conscriptus.

se Sapiens, cum habeat animam, laudem captare ex corpore? multis servit, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert: ideoque sic Te geris, non tanquam propter corpus vivas, sed tanquam non possis sine corpore? an potius tua Te urget innocentia, ut, quicquid instruxerat scelerati hostis longa molitio, felici congressione consume- res? Quod quidem nobis semper optandum est, ut prosperos habeas etiam ultra vota successus, qui omnem spem in gremio Majestatis tuae ponimus, & tuam ubique praesentiam, quasi dari possit, expetimus. At tibi salus tua invisita est, si non sit cum salute Ecclesiae conjuncta, & nihil pateris pro Te optari, nisi expediat optantibus. Ita fit, ut erga omne genus hominum vice DEI fungaris. Utque Numina semper aliquid agunt: sic dies tibi omnis summam cum utilitate nostram, cum tua laude conditur. Labore vero reficere ac reparari perpetuum professus, aut contra hostes, aut contra vitia, certamen. Quis nostrum idem curae, idem sudoris sumit? quis adeo expetitis honoribus aut deservit, aut sufficit? Quod si quando cum influentibus negotiis paria fecisti, instar refectio- nis existimas mutationem laboris. Quae vero

F

remissio

Julianus.

Panegyricus Regi Sueciæ

remissio Tibi, nisi superare pedes immensa montium juga, & horretibus scopulis gradum inferre nullius manu, nullius vestigio adjutum? annon plerique Principes hoc idem tempus in aleam, stupra, luxum conferunt, cum seriarum laxamenta curarum vitiorum contentione suppleant? Par Tibi capiendi querendiq; sudor, summusq; & idem gratissimas labor, invenire hostem. Prætereo hoc loco militis tui miram incredibilemq; instruendi rationem; difficillimam pugnae partem Tibi diligis, & tanquam pro fortunæ gradu modus Virtutum debeatur, ita inter tuos non vis principatu magis excellere, quam labore. Tu non segnior geris, quam jubēs, simul exercitus tuos monitu regis, opere juvas, incendis exemplo. Veniet tempus, quo Posterius visere, visendumque tradere Minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnum saxa prætexerint, quod denique tectum magnus hospes impleveris, ut nunc ipsi Tibi ingentium Ducum sacra vestigia iisdem in locis monstrantur, verum hæc olim.

Felicitas,

In præsentia omnia ubique secunda mere-  
ris, ut manifestum sit, si quid adversi cadat, tuis lau-  
dibus,



conscriptus.

dibus, tuisque virtutibus materiam campumque prosterni, cum secunda felices, adversa magnos probent. Invidia autem infra tuam majestatem jaceat. Cum verò summa virtus, summaque Felicitas claros Duces faciant; scire obvium est, quã fuerit felicitate præditus, qui te genuit & regnum Tibi moriens reliquit. Sed hoc quoque non moribus, fortunæ datur, at Tibi sine ullo discrimine omnia genera bellorum, armorum, hostium uni cedunt. Cedunt enim ex omni etiam memoria literis condita monumenta virtutum. In bellis feliciter gerendis tam multa invenisti, ut si ante Te nihil esset inventum. O felices nos dum felicem Te prædicamus? quare abeant ac recedant voces illæ, quas metus nuper exprimebat. Nihil, quale ante dicebamus, nihil enim, quale antea patiebamur, neque eadem secreto loquimur, quæ prius. Jam discrimina, quæ feliciter cesserunt, suavissimæ memoriæ sensum reliquerunt.

Justitiam genti ac generi tuo insitam sic imitaris & sequeris, ut omnibus ad Te confugientibus, diversamque opem aut contra aliorum injurias, aut pro suis commodis postulanti- bus quasi Legata Patris videaris exsolvere. Manet honor Le-

F 2

gum

Tacit. 14.  
An.

Cassiod. 8.  
Var. 10.

Justitia.

Panegyricus Regi Sueciæ

state, quem deceperat, atque ob id sustulerat animos. Nec enim jam de sua libertate nobiscum, sed de nostrâ servitute, incipiebat certare, ac ne inducias quidem nisi iniquis conditionibus inibat, legesque ut acciperet, dabat. Postremò non solitudinem ferarii illi Catuli, sed Fora, sed Tempia insederant, ut solitudinem facerent, nulla jam Testamenta secura, nullæ transactiones, nullus certus status, non Orbitas, non Liberi proderant, etiam propinquorum sanguis lambebatur. Quid ego referam infelicium civium indignissimas cædes? quid inexpletos libidinum pastûs? quid miseras patrimoniorum direptiones? de virorum mortibus non loquar, cum descensum recorder ad sanguinem foeminarum, & in sexum, cui bella parcent, nõ parcè sævitum. Alibi malum hoc publicum aut cœpit, aut destitit, in Germania sedit. Sileantur hæc sanè, non tantùm ne sopitam multorum malorum memoriam oratio mea suscitet, sed ne sanctissimas castissimasque Regis laudes, dum aliena vitia depromimus, sermo talis incestat, etsi incrementum restitutæ felicitatis sit malorum commemorata depulsio. Nihil profectò gravius, nihil  
mise-

conscriptus.

miserius GERMANIA doluisti à primo Germanorum exortu, ac quamvis recondita altè magis gemeres, & ingestos quotidie luctus callo quodam obduratæ patientiæ sustineres; confessus se est inconsultior dolor, nec timuit deprehendi, & malè clausi signa mœroris per vultus indices tandem exierunt tum, cum MAGDEBURGUM in ruinas lacrymabiles propè tota cremata concideret, antiquæ nobilitatis civitas, & quondam Imperatorum nomine gloriata, sed quæ jam ex omnibus terris, quas Pests illa insecerat, sibi vindicat Privilegium miseriarum. Bien- nio & aliquot mensibus clausi cives ejus, & omnia obsidionum miseranda perpeffi tum demum irrum- pendas Carnifici purpurato portas reliquerunt, cum fessi & nimium credentes observare non possent. Qui locus nimium quantum plus mihi suppedita- ret Orationis, si fas esset audiente Te rebus tristiori- bus immorari, sed in commemorandis illius Urbis malis & meus dolor & Tuarum aurium consuetu- do cohibet, qui tamen illacrymâsse Te illis miseriis ipse penè confessus es. Quàm libenter tot truci- datis sanguinem, spoliatis bona refudisses? At in præteritum subvenire ne Dii quidem possunt. Tu ta-  
men

Panegyricus Regi Sueciæ

men subvenisti. Tum enim temporis per mare Balticum ex Sueciâ robur animi & corporis protuleras in Germaniam, quiescentibus cunctantibusq; Imperii sociis. Quâ tuâ transgressione quid potuit esse majus? Oceanus ille tanto vectore stupetactus caruisse suis moribus visus est, ita pervectus, ut non commitata sit, sed Te præstolata Victoria. Et Tu primus omnium probasti, nullum esse terminum, nisi qui tuorum esset laborum. Jam omni hoste purgaveras Oderam, jam Albim virtutis tuæ terrore obstruxeras; cum supplices Tibi tendere manus Ecclesia, vel potius gemebunda clamare: Quousque me quati, mihi libertatem adimi, Te otiosum sedere, usum dicatæ mihi virtutis amittere pateris? redde Te mihi, & quoniam tranquillo mari portum intrare non potuisti, vade per fluctus mei quidem amore sollicitus, sed tuâ Majestate securus. O Pietatem tuam, quæ tuum animum semper invictum sola vicit! non potuisti resistere sanctæ illius Parentis communis imperio, nec longius illi adversorum fuit spatium, quàm dum nunciat. Mox providentiâ & auctoritate tuâ subsidia totius Reipub. erigis, exanimata recreas, dilapsa colligis non advectus cursu publico, sed

conscriptus.

sed divino quodam advolans curriculo. Frustrà  
tunc LIPSIA cœlum respiciebat & nubila optabat.  
Dies serenus erat, atq; ultra rationem temporis Sol  
æstivus incaluerat. Magna pars Aëris alto pulvere  
incanduerat, cum Tu hostium sanguine quasi imbre  
perfusam terram cœdibus contectam inundas. Tam  
velox potentia tua est, tamq; in omnia pariter inten-  
ta bonitas & accincta, ut tristiùs aliquid passis ad re-  
medium salutemq; sufficiat, ut scias. Resciscens n.  
uno salutis publicæ signo illud ut sic dixerim, bellū  
servile sustulisti. Unâ acie illâ non pars aliqua serva-  
ta sed universa sibi est Ecclesia restituta, cum ex di-  
versâ Orbis parte coeuntes Rex Sueciæ, Electores  
Saxonix & Brandenburgix invictas dexteras contu-  
lerant, tuis humeris se Patriamq; sustentantes, tuâ ju-  
ventâ, tuo robore invaluerant. Quid enim rebus  
humanis contingere potuit aut nobiliùs ad glori-  
am aut certius ad salutem, quàm quod pristinx tuæ  
& Electorali Concordiæ perpetuæque Pietati hoc  
quoq; pignus accessit summorum nominum arctis-  
simâ conjunctione venerabile, ut Electoria dignitas  
regio elocaretur sanguini? statim confedit tum o-  
mnis tumultus, & facti sumus nos sicut consolati.

G

Tunc

Panegyricus Regi Sueciæ

Pf. 126. v. 2

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus jocundati. Reddita est amicis fides, liberis Pietas, obsequium servis. Nec jam Pater Patriæ alienis se mancipiis chariorem, quam civibus, credit. Spectavit nos ex alto rerum Arbitr DEUS, & inter eorum vitas dijudicavit, quorum utilitates gubernat. Illa vis, illa Majestas fandi ac nefandi discriminatrix, quæ omnia meritorum momenta perpendit, librat, examinat, illa nefariam illi Servo Antichristici fregit amentiam; illa Pietatem tuam texit, illa invictum tuum exercitum, tot victoriarum conscientia plenis pectoribus ardentem tantis insuper viribus juvit, quanta præstare aut DEUS voluit, aut amor tuus debuit, ut horrendas acies, ut incognita ferri & corporum robora fulminans miles everteret. Si quis mortalium in aliquam celestem speculam nube sublatus paullo ante vidisset mœsta omnia, semirutata oppida, desolata mœnia, ab indigenis solitudinem, exulum turbam, is si nunc in illud idem editum reponatur, ut despiciat cuncta lætantia agros confitos, urbes frequentes, magnifico cultu privatas ædes surgentes, dites messibus pro  
terra-

conscriptus.

terrarum ingenis segetes, vincentes vota, vindemi-  
as, lata camporum, valles, collesq; balatu, hinnitu,  
mugitibus persona; profectò mirabitur tam brevi  
cuncta mutata, defiliet è nubibus, & viciniam cœli  
cupidè derelinquet, ut tuis, ò Rex, pacatis terris fru-  
atur. Conversa est iniquitas in gratulationem, inju-  
ria in votum. Jam enim tua prædicanda est Mo-  
deratio, quod innutritus bellicis laudibus Pacem a-  
mas, injurias & iniquitates ad jus & æquum adigis.  
Idcirco non ex omni occasione quæris triumphos,  
non times bella, non provocas. Ut enim Felicitatis  
est, quantum velis posse, sic Moderationis est velle,  
quantum possis. At Tu novâ quadam varietate na-  
turæ, confusoque virtutum temperamento idem es  
in præliis fortissimus, & partâ securitate mitissimus.  
In cognitionibus, quàm mitis severitas, quàm non  
dissoluta clementia? Hoc mihi admiratione dignû  
non videretur, si inter Fabios, & Scipiones, & Ca-  
millos talis esses. Tunc enim Te imitationis ardor,  
semperque melior aliquis accenderet: nunc patrio  
more, patriâ virtute solâ lætaris, & sine æmulo, sine  
exemplo securus certas, securus contendis, ut sicut  
imperare soles, solum ita Te esse, qui debeat im-

G 2

pera-

Panegyricus Regi Sueciæ

perare. Meruisti proximâ moderatione, ut quando-  
docunque Te vel inferre vel propulsare bellum  
coegerit ECCLESIAE dignitas, non ideò vicisse videa-  
ris ut triumphares, sed triumphare, quia viceras.  
Et sanè meritorum conscientiam ubique triumphas,  
dum triumphos ipsos semper vincendo differs,  
quod quæcunque pulcherrima facis, continuo trãsis  
& ad majora properas.

Celeritas.

Magnum erat duratum glacie MœNUM  
subjugare & Franciam potiri. At ille ingentia tergo  
bella transportabat. Majus fuit stare in gelu junctis  
RHENI ripis. At jam maximû est, ad LECHUM pugnata  
pugnâ cis & ultra DANUBIUM tentoria figere & mox  
dominari. Dicet aliquis; quomodo tam multa tam  
breui tempore? & rectè. Sed noster Rex addit ad  
tempus, quod otio suo detrahit. Nihil somno, ni-  
hil epulis, nihil aleæ tribuit, ipsa se naturalium ne-  
cessariorumque rerum usurpatione defraudat, totus  
commodis publicis vacat. Quod si quis eò inso-  
lentiæ furorisque processerit, ut iram tuam indi-  
gnationemque mereatur, næ ille sive interfuso ma-  
ri, seu fluminibus immensis, seu præcipiti monte  
defenditur, omnia hæc tam prona, tamque cedentia

Virtu-



conscriptus.

Virtutibus tuis sentiet; ut subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatasque non classes nostras, sed terras ipsas arbitretur. Quid secuturum sit, ipse O Rex scis, & quaecunq; consilia tua gaudet formare Divinitas.

Sancte DEUS, tandem bella civilia ad gentes illas vesaniâ dignas transfer, omnemque illam rabiem extra terminos ECCLESIAE in terras hostium differ, ut in sua viscera sævientes obstinatae feritatis poenas persolvant.

Te summe rerum sator, cuius tot nomina sunt, quot gentium linguas esse voluisti, Te oramus & quæsumus, ut hîc in omnia secula Regem serves. Parum est enim optare tantæ Virtuti tantæque Pietati, quem longissimum habet vita progressum.

Admonet me & temporis ratio & Majestatis tuæ reverentia, ut finem dicendi faciam, quanquam de Virtutibus tuis tam pauca dixerim, & tam multa restent. Videt jam in Porticibus juvenus & spectant quotidie Senes in Tabulis omnes terras & cuncta maria & quidquid Urbium, Gentium, Nationum aut virtute devicisti aut terrore. O Germania, quàm tu unquam gratiam pro tantis laboribus

Panegyricus Regi Sueciæ conscriptus.

bus tanto Principi referes? nisi quod indulgentissime Rex, tanquam hoc ipsum Tibi debeat, eò chariorem Te habet, quo majore labore servavit. Horum unum si præstitisset alius, illi jamdudum radiatum caput & media inter Deos sedes auro staret, aut ebore. Intelligamus bona nostra, dignosque nos illius usu probemus, atque itentidem cogitemus, an majus Principibus præstemus obsequium, qui servitute civium, quàm qui libertate lætantur. Simplex, cunctaque ista complexum nostrum omnium Votum sit, SALUS GUSTAVI

ADOLPHI OPT. MAX.!

DIXI.



Cygnæ, Excudebat Melchior Göpner,  
Anno 1632.

si-  
a-  
o-  
ra-  
et,  
que  
te-  
m,  
ur.  
o-  
l



Q. A. 9/4159

W. O. A.

M. C.




**ULB Halle**  
004 825 217

3









**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



HO  
A-  
s  
ndaliæ  
fortè casuque  
liquo divino  
integro rem  
in quodam  
o quærerem,  
enti TIMO-  
vigilans NA-  
Regno exci-  
ous ego si im-  
mora-

Plut. in  
Sylla.

